

**Dissertatio anatomico-chirurgica de utero gravido, tum antrorsum, tum retrorsum verso : quam, Deo juvante, & praeside M. Petro-Mathurino Botentuit Langlois ... / tueri conabitur Joannes-Baptista Baudelocque, dissertationis auctor.**

### **Contributors**

Baudelocque, Jean Baptiste.  
Botentuit Langlois, Pierre Mathurin.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1784.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ktmmegw4>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

**DISSERTATIO**  
**ANATOMICO-CHIRURGICA**  
**DE UTERO GRAVIDO,**  
**TUM ANTRORSUM, TUM RETRORSUM VERSO.**

*QUAM, Deo juvante, & Præside M. PETRO-MATHURINO  
BOTENTUIT LANGLOIS, Scholarum Moderatore, antiquo  
in Scholâ Præcticâ Professore, tueri conabitur JOANNES-  
BAPTISTA BAUDELOCQUE, Ambianensis, præclaræ Artium  
Facultatis in Almâ Universitate Parisiensi Magister,  
DISSERTATIONIS AUCTOR.*

*Die Sabbati 23<sup>a</sup>. mensis Octobris anno R. S. H. 1784,  
à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam,*

**PARISIIS,**

**IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.**

**PRO ACTU PUBLICO,**

**ET**

**MAGISTERII LAUREA.**




Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ  
Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cytharcâ.

---

**M. DCC. LXXXIV.**


**DILECTISSIMO FRATRI MEO,  
CHIRURGIÆ MAGISTRO.**

M. D. C. C. L. X. X. V.



## DE UTERO GRAVIDO ,

*tùm antrorsùm , tùm retrorsùm verso.*



**O**RGANA muliebria generationi dicata , dùm lustrabat Swammerdamius , ea *Miraculum Naturæ* nuncupare solebat. Stupes? Intimam eorum , amabò , rimare fabricam , errantes hùc & illùc mirare varios fontes qui fœcundum genitabili arvo deducunt humorem , vel aggestis sensim sine sensu regulatim saliant undis. Prosequaris funiculorum sentientium quòcumque repentium myriadem , quibus excussis , vivida emicat scintilla latè per omnia Microcosmi latibula discursura & amicam cunëtis lacem feneratura. Attende ad varia conceptûs , graviditatis & partûs phænomena , & effatum Naturæ Indagatoris aureis insculpe typis. His tot & tantis veteres non caligârunt miraculis , quin ut mentem solverent , undè ea orientur , ζῶον iv ζῶον inesse aiebant. At si tam mirus abripuit Contemplatoris sensus partium ordo , non minùs rapitur Naturæ gressus pie-

mendo , qui frenis furientem coercet , compositoque tumultu procellas fugat Iatro-Physicus. Uterus omnium præcipuus in infimo abdominis anfractu latens , visceribus undiquè obsidetur. Mediatè vel immediatè eum premit antècè zona carnea & obliquè desuper septum quod vocant Medium. Longanone inter & urinariam cystidem delitescens alibi tamen errat , quoties hoc vel illud turget receptaculum. Menstrui , dùm roseus expanditur juventutis flos , laticis colum , ignotas priùs experitur formas. Embryoni fovendo , nutriendo dicatus , propriam nunc instaurat vitam. Pristinus tunc non suus ordo nec situs ; mutantur omnia , fitque suù tam dissimile viscus , ut attentis etiam si perlustretur oculis , aliud prorsùs videretur. Hæc tamen de consilio Naturæ matri sobolique invigilantis instituta non impunè ferunt vicina organa. Sed ad alia properantem non distinebunt quos objiciunt , obices ; vocant nunc uteri *ante-versio* & *retro-versio* , quos quidem affectus vix delibârunt Auctores ; sed antèa stent quæ dictat Anatome.

### EX ANATOMIA.

In mediâ sceleti parte expanditur columna vertebralis , & coeuntibus coxarum ossibus , anfractus fit recipiendis & tuendis genitabilibus organis , Pelvim dixerunt jam dudùm Anatomici. Quæ eam constituunt , ità mirificè coadunantur , & firmiter constringuntur ossa , ut quamvis à musculis denudes , vix à se ipsis dimoveas. Quin inò , etsi vulgò divari- cari dicantur , rarò tamen ipsâmet in graviditate , datâ coccygis cum sacro connexi nutatione , distracta recedunt. Sa- lientes ossium pubis margines , ilea , basisque sacri lineam cir- cumscribunt quæ pelvim in duo cava dispertitur , superius quod hinc & indè diducitur antrorsùm lunatâ patens incisurâ , inferius quod pelvim strictè dictam nuncupârunt.

Hæc in pelvi duplices distinguas exitus , spatium excipien-

tes quod pelvis inferioris vacuum indigitant. Superior à sacro ad pubem obliquè procumbit. Ex eo rerum ordine vario variis in mulieribus dignoscitur pelvis axis directio, ut medentur uteri de quibus nunc sermo, inversionibus maximè cognitu necessaria (a). Corporis quartam circiter altitudinis partem dimetiri hujus exitus circumferentiam censuit Illust. *Levret*. Modò verò major vel minor: quòque minor, eò ratiior uteri *retroversio*, quamvis maxima tunc educendo fœtui immineant obstacula. Illius diameter à pube ad sacrum quatuor, lateraliter verò quinque pollicibus dehiscit. Uti exitus superior, ita variatur inferior, hocce tamen arctior. Pelvis veræ quæres chordam? Sumas lineam à mediâ ossis sacri curvaturâ ad pubem ductam, præstòque erunt sex vel octo lineæ quibus exsuperatur diameter superior.

Ampla quùm fit pelvis cavitas, idcirco non ejusdem generis continet partes. Musculi, tendines, ligamenta, vasa, nervi, uterus unà cum appendicibus, urinaria cystis, longano ibi reponuntur, non denegato tamen cæteris cum partibus commercio. Rectum posteriùs cellulosa propagine è peritonæo sacro illigatur, curvaturam dimetitur, & è sinistro anguli sacro-vertebralis latere ad coccygem obliquè prospiciens osse longiùs excurrit, modòque sinistrorsùm, modò dextrorsùm divagatur.

Urinaria cystis ponè pubem, dùm expanditur, suprâ eminet,

---

(a) Satis præcisè superioris pelvis exitus proclivitatem æstimavit Celeber. *Levret*, dicendo: « Une ligne conduite horizontalement du haut de la symphise du pubis vers le sacrum, traversera l'union de la quatrième avec la cinquième fausse vertèbre, & une ligne qu'on abaissera du milieu du bord inférieur de la dernière vertèbre lombaire sur l'extrémité antérieure de la précédente, formera avec elle un angle dont la base sera de trente-cinq degrés ou environ. » *Elem. sur l'art. des Accouch. parag. 34. & suiv.*  
Vide l'Art des Accouch. par M. Baudelocque, 1. partie, parag. 69, 70 & suiv.

& celluloso nexu ossibus adhæret , duabusque appendicibus quas musculos alii , alii ligamenta volunt , utero peritonæi , vaginæ verò stipati cellularis textûs ope adnectitur. Urethra vaginam inter & pubis ossa decurrit , & infrà quo coalescunt , angulo dehiscit. Uterum insequitur tumentem quò magis instat partus vesica , & fursùm lata haud nunquàm suprâ pubem incurvatur , tuncque symphysem juxtâ descendit extûs urethra.

Uterus , frugifera tellus , viscus cavum marsupio haud ab simile reconditur rectum inter & vesicam , cujus hiatus vaginam , fundus abdomen prospicit , etsi parùm anticè stantibus præfertim propendat. Duorum utplurimùm pollicum cum dimidio est ipsius longitudo , viginti linearum latitudo , duodecim verò ejus crassities. Fundum huic distinguas , corpus , cervicem , facies & margines. « Fingatur inter tubarum fallopiatarum » orificiâ uterus transversim sectus , solidum enatum suprâ » hanc sectionem uteri fundus vocatur. Ab hâc sectione imagi- » nariâ ad sectionem aliam imaginariam quæ concipitur trans- » versa in loco ubi minima uteri latitudo interceptum solidum » uteri corpus constituit ; quod infrâ hanc sectionem superest » usque ad os tincæ cervix audit ( a ). » Facierum una poste- » rior , anterior altera , utraque convexa ; margines ad latera pel- » vis respiciunt.

Hærent de intimâ uteri puellaris fabricâ obstetricantes , non item de gravidæ litigantes , producuntur enim tunc variè à fundo ad cervicem decussatæ , quæ post partum sese retrahunt fibræ. Densior , strictior nunc fit cervicis textus , etsi corpus magis rubescat , mollem , madidamque referat spongiam ; quod quidem discrimen placentæ versùs insitionem tantùm advertitur.

---

( a ) Vide Rœderer , *Elementa artis obstetriciæ* , parag. 34 , pag. 16.

Vide quoque *l'Art des Accouch.* par M. Baudelocque , parag. 154.

Uteri vacuum, licet exiguum, in corporis collique cavum distinguitur. Triangulare illud tubarum fallopianarum orificiis, missis etiam uteri foraminibus quæ uterinos vocant sinus, perforatur. Ellipsoïdis figuræ rugis plicisve scatet, productâ scilicet intus uteri substantiâ, quas inter suum eructant humorem mucosæ cryptæ.

Cervicis vacuæ apex internum dicitur uteri orificium; inus verò vaginæ rimulâ transversâ trium aut quatuor linearum inhians margo, visâ cui refertur piscis oris similitudine, os tincæ habetur.

Arteriæ venæque è spermaticis & hypogastricis stipitibus utero prospiciunt, sicuti è vario plexu oriundi nervi. At sua sunt visceri peculiaris vasa, uteri nempe sinus in quibus immerguntur venæ arteriæque per plurimæ. Utero stipati, cervici rariores quorum orificia, dum lunares depluunt cataractæ magis, maximè verò dum animato luxuriat semine genitabilis ager, semper conspicua patefcunt.

Uterum undique, ni orificium externum, obvolvitur peritonæum, arctè fundo faciebusque hærens, laxiùs ad latera: hinc lata uteri ligamenta, quæ septo quasi transverso pelvis vacuum in antèrius & posteriùs dispescunt, suprâque in semetipsa replicata duo pterygia efficiunt quorum hoc tubam fallopianam, illud autem ovarium includit (a).

Quatuor aliæ peritonæi soboles ligamenta audiunt, tum postica tum antica: ab uteri cervice majora illa lunata ad rectum decurrunt, minora verò ad urinariam cystidem. Duo tandem supersunt funiculi quos rotunda ligamenta perperam vocârunt. A supremo uteri fundo tubarum inter fallopianarum originem

---

(a) Ovarii tubarumque fallopianarum descriptionem, si quidem ad prout minus conferat, consultò omittimus.

nata per inguinale foramen transeunt, mox ibidem femoribus evanida, fibris conflata longitudinalibus, vasis sanguiferis nervisque intertextis. Vacuo utero in cellulofam resolvuntur, turgent prægnantibus, carnosamque induunt instante partu naturam.

Ab extremis pudendis ad uteri cervicem ducit vagina, cujus longitudo vix quinque digitorum, amplitudo varia; puellis angusta, foeminis latior, iteratis latefcit partibus. Jugalis haud passæ thalami rugis asperatur quæ ad tempestivam canalis explicationem inservientes concubitu deteruntur.

Fertur recurvatis tantisper duobus extremis carneus ille tubus, & obliquè sectis dehiscit orificiis quorum posterior margo anteriorem longè exsuperat. Superior finis uteri cervicem obliquè & arctè amplectitur. Illius axis à summo sacro ad pubem inclinatur, quem si cum uterino conferas angulus exurgit posticè saliens, vacuus anticè. Vesicæ collo, urethræ, longanonique firmissimè illigatur; & hæc nobis sufficiat prolusio anatomica.

### *È C H I R U R G I A.*

Perpendenti quæ uterum à situ dimovent, prægnatione nulla sanè efficacior videbitur causa. Quid enim? Vix humanam recepit monadem, ut tumet turgetque uterus, celeriusque propulsis ibi sanguinis undis incalescunt, spissescunt & madescunt ipsius parietes. At cum parumper primis vitæ mensibus crescat homuncio, parùm itidem mutatur involucris situs, qui paulatim illæsis nunc aqualiculi functionibus, à vicinis recedit. Ineunte tertio circiter conceptûs mense adhuc dum latefcit pelvi minimâ uterus: at citò citiùs superiora petens lineam pelvis dirimentem conscendit, deinque varias abdominis fundo pererrat plagas. Amico fœdere non unà expanduntur ipsius partes. Immutata usque nunc cervix, vergente sexto septimo-ve mense, tumescit utero viciniore, & emollita quò magis imminet partus, evolvitur circuloque dehiscit inferiùs aperto.

Immutari uterum tùm formâ , tùm amplitudine ita ut non explicetur, sed de novo generetur quis phænomenis haud caligans, inficiâs ibit? At etiam visceri suæ sunt sitûs mutationes. Vix homuncione superbit, cùm ad vaginæ limen descendit uteri orificium, infimo insidet longanoni his, illis itâ pudendis impendet ut forâs prodeat, vel, si tantillum aperiantur, prodire videatur. Nec his ( verbo sit locus ) prolapsibus denegantur incommoda; quippe dolent lumbi & inguina; premitur podex; pubis ossium symphisi innixum uteri corpus itâ quandoque vesicam urethramve urget, ut lotio, ni idoneo prægnantibus subveniant situ, difficilis imò impossibilis fiat exitus. Non mirum hinc quòd sæpiùs non nisi resupinæ mingant, undè noctu facilè urinarum profluvium, vel saltem uterum repellentes immisso nempè in vaginam indice.

Dysuria vel hæc ischuria non semper ab illo uteri prolapsu. Oriuntur haud rarò ab utero vesicam in superiori pelvis ore impingente; at seriùs tunc, scilicet quarto mense, aliàs ociùs occurrens symptoma sævit. Debilioribus pluriesque jam enixis quarum pelvis latior, frequentior etiam de quo nunc, prolapsus. Laborant verò urinis difficilioribus queis contrahitur minimæ pelvis superior periphæria. Fugiunt quæque sint, conscenso pelvis angustias utero, symptomata, & ab explicatione prohibitâ cystide, frequentior succedit miçtus. Frangatur hinc, quæ ut stabiliantur observationum obstetricantibus notarum concatenata series.

Alii vocant nunc uteri errores prolapsu graviores & rariores, *ante-versio* & *retro-versio*. Scilicet *ante-verti* dicitur uterus cùm ad pubem vergit ipsius fundus; *retro-verti* verò, dùm vice-versâ ab ejusdem fundo premitur sacrum. His in erroribus mediâ pelvi revertitur, & ita transversus jacet uterus ut ipsius longitudo ductam à pube ad sacrum legat lineam.

Tria suppetit *ante-versionis* exempla Illust. *Leyret*, quem er-

rorem vocat *inversionem*, eumque distinguit ab eo quo fundus uteri per cervicem transit.

Et si his in exemplis vacuus esset uterus, tumefacti vesicam premebant parietes, sicque intus eminebant ut in uno calculi larvam præ se ferrent symptomata. Fit sectio, datis calculi incarcerati signis; at incisorem sefellit eventus, & ferius eheu! reclusis denatæ exitis morbosa detegitur uteri conversio. Qui priori, non ita sinister fuit cæteris exitus morbi, quin convaluerunt mulieres (a) composito ad propriam axim, pessulique ope retento utero. Similis Clarif. *Desgranges*, Lugdunensis Chirurgi, prostat observatio. Detrufo in vesicam cathetere, lotium à trīginta horis ibi retentum vacuandi causâ, in corpus illisit quod ipse pro schirro, alius verò pro calculo habuit. Dolum Naturæ propalavit index in vaginam deductus: uteri fundus in vesicam impingebat, ejusque os longanoni altiùs incumbens vix attingebatur. Reduxerunt uterum, immissoque pessario cuncta, missâ quæ dies aliquot permansit dysuriâ, siluerunt symptomata (b).

Similem nobis benignè communicavit casum D. *Chopart*, hujusce Scholæ Regius Professor. Prægnans tertio à conceptu mense gravissimis angebatur nauseis intestinorumque colicis; incassum alvum exonerare tentabat gravi pondere, vesicam urinariam longanonemque querens comprimi. Micturiebat equidem, attamen animo linquebatur frigidisque dimanabat sudoribus. Nil profuerunt paregorica, nil enemata quæ refusis redibant undis. Callidus immisso vaginæ indice uteri cervicem ad coccygem, fundum verò ad pubis ossa vergere reperit observator. Dolentem genibus cubitisque inniti voluit, & citò citiùs imminuto dolore alvus solvebatur, dein uteri cervice anteriùs seu ad fi-

---

(a) Vid. Diarium Medicum, tom. XL. pag. 259 & seq.

(b) Vid. ibid. tom. LIX. pag. 35 & seq.

9  
tum naturalem revocatâ, quiete rependebantur incommoda. Tri-  
bus vix elapsis horis uterus iterùm antevertebatur, qui eodem  
restituabatur negotio; brevè verò expandi sensit ipsius orificium,  
ingeminati contractiones uterinas quæ fetum duorum pollicum  
unâ cum placentâ ejecerunt.

Is de quo nunc, frequens uteri error. Ambigis? Num vacuus  
vel recens imprægnatus uterus præceps ruere potest, quin pelvis  
minimæ exitûs superioris axim descendendo non legat, vel lineam  
quæ è centro hujusce periphæriæ ad quartam quintamve ossis  
sacri vertebam duceretur? Minimè gentium. Cùm verò sacri  
coccygisque inferioris apici insideat os tincæ, & indè antrorsùm  
feratur ad vaginæ nempè principium vel ultrà si longiùs excu-  
rat, nil mirum quòd à rebus sic compositis ad inversionem modò  
dictam lubrica pandatur via. Teritur, si volubilis & procum-  
bens impositis visceribus musculisve abdominalibus aut vi quâ-  
cumque exteriori urgeatur uterus. Quæ laborarunt uteri errore  
mulieres, plurimæ nonnisi resupinæ minxerunt, eò quod ver-  
satis minorque uteri moles tumentis cedebat vesicæ & à sym-  
phisi recedebat.

Gravior frequentiorque uteri *retro-versio*, cujus exemplum  
habet apud Illust. *Smellie* (a). Morbum sagaciter observavit, di-  
lucidèque exposuit Celeber. *Guill. Hunter*. Quænam autem  
mali labes, quæ ipsi competant tela, primas nos edocuit. Hinc  
cùm tantùm ad artis incrementum inservire possint ipsius ob-  
servata, unum alterumve hîc exponemus.

Mulier primis Hymenæi donis superbiens, quarto à consensu

---

(a) Quintum graviditatis mensem tetigerat prægnans, posticè iverat  
uteri fundus inguenque ad dextrum vergerat: ita & vesicam repentè disten-  
derant urinæ ut ad scrobiculum cordis lata prominere. Catheteris ope uri-  
na educitur, subsecutoque mox abortu siluit dysuria: biduo occubuit mu-  
lier diarrhæâ correpta.

jugali toro è subito pavore in syncopen incidebatur , alvo vesicâque oclusis. Eductis cathetere octo circiter urinæ libris , vaginam pertentans indice , uterum , velut tuber , invenit *retro-versum* & inter ossa tùm pubis tùm sacri prorsus impeditum Clar. *Walter Wall*. Os tincæ hinc & hinc quæritanti redierunt nunc quæ è privatis hauserat *D. Grégoire* Paris. Chirurghi prælectionibus , & digito in anum immisso uteri fundum repellere , altero in vaginam incassum orificium attrahere tentavit. Accersitum Anatomes peritum *Guill. Hunter* irritavit etiam error qui debilitatam confecit postridie ægram. Reclusis secto abdomine extis , *retro-verso* undique pressam se præbuit oculis pelvis utero , cujus orificium pubis ossibus impingebat ; assurgens vesicæ cervicem coarctabat verso deorsum retrorsumque fundo : ita ibi constringebatur ut vix , nisi auctâ symphyseos sectione pelvis diametro , expediri potuerit. (a)

Rumpebatur simili alio in casu turgida nimis vesica , urinifque late per abdomen effusis , rediit ad naturæ normam fetum placentamque expellendo uterus ; postridie verò occubuit parturiens , & eadem quæ priori retexit culter anatomicus , etsi minùs uteri orificium ossa pubis , fundus verò sacrum illidebant.

Insecuto prioris observationis filo , nemo , ni vesanus , notam fuisse primùm à *D. Gregoire* uteri *retro-versionem* , dein ab *Illust. Hunter* , in privatis prælectionibus , anno 1754 , decantatam fuisse inficiàs ibit ( b ). Quater hanc vidit *Celeb.* in arte obstetriciâ *Regius Professor M. Deleurye* ( c ). A *Clarif. viris Desgranges* ,

---

( a ) Vidit cui hæc debemus , illius denatæ pelvim & delineatas accepit figuras ab *Illust. Hunter D. Chopart*.

( b ) Vid. Opera quorum titulus , *Medicals observations and Inquiries by a Society of Physicians in London* vol. 4 & 5 , pag. 331 , ubi alia prostant exempla.

( c ) *Celeberrimus ille Magister* propria nobis libenter observata communicavit , quæ ipsi haud ingratiè accepta referimus.

Lugdunis (a), Wandorp Corteriaci (b), Wanters Weteren Belgis (c), observatus etiam fuit hic morbus. Illius retro-versiois duo observata Fratris amantissimi erunt etiam inferiùs exponenda.

Quæ mox retulimus, ea gravidum æquè ac vacuum retroferri posse innunt uterum frequentius tamen prægnantibus, tertio scilicet tantùm vel quarto fœcundæ veneris mense, rarò seriùs, ni solito magis pateat pelvis aditus, quod in parturiente à Celeber. Smellie notatâ accidisse videtur. Gradatim fit illa reversio profapiam ducens à viscerum vel zonæ carneæ abdominis in uterum jam ad sacrum vel pubem nutantem, conatibus repetitis: vel derepentè irrui, quo, ut alvum vesicamve exonerent prægnantes, nisu accersita (d). A subitâ etiam ac spontaneâ zonæ abdomi-

(a) Vid. Diarium Medic. tom. LIX. pag. 32. Vid. etiam ejus. Epist. in Diar. Encyclop. mense Augusti 1783, pag. 133.

(b) Vid. Diar. Med. tom. LXI. pag. 64.

(c) Vid. ibid. tom. LV. pag. 323.

(d) Ineunt mense Martè 1784, mulier graviditatem à sex septemve hebdomadibus suspiciens postquam durioris rhedæ succussibus diù exagitata fuerat, è lumbis inguinibusque doluit. Gravabatur sedes, paululùmque è pudendis effluxit cruoris, undè sibi abortum timuit. Mittitur ergò sanguis, lecto recumbit prægnans, neque tamen meliùs revertebantur res. Advocatus amantissimus Frater tumidum agnovit in vaginam proripere uterum, continuum dolenti suadet decubitum. Muliere verò cathedræ sedente magis quàm lecto recumbente sensim sine sensu subsidit uterus, augetur semper pondus; ineunteque Aprili mense, urinæ laboravit nunc stillicidio: ægrè tunc mingebat, & ita auxit dysuria ut resupina tantùm & utero (qui stante muliere ad vulvam usque descendebat) repulso, vesicam crebris brevibusque veluti ejaculationibus exonerabat. Paschali nocte, dùm urgeret meiendi necessitas solito usurpata frustra adhibuit auxilia. Accersitus manè Frater, uti parturire vellet, invenit ægram diductis cruribus recubantem. Maxima urgebat mingendi necessitas, grave in podicem premebat onus, corpusque durum, ut aiebat mulier, per vulvam mox mox erupturum sibi sentiebat. Altiùs abrepta uteri

nalis contractionē (a) vel demùm ab extraneo impulsu (b) contrahitur haud rarò morbus. Receptis enim cari Præceptoris documentis si prematur uti par est hypogastrium, inverti ità potest uterus ut intrusi apex digiti majorem perlustret visceris aream (c); quod haud semel nos expertos fuisse recordamur.

Non omnes tetigimus inversionum uteri scaturigines; latent in abditum aliæ quas nondùm prodiderunt observata. Præ cæteris autem censenda est uteri ligamentorum relaxatio, hinc pluries partis frequentior prolapsus & inversio uterina. Nec mora, his momentum addunt causas, etsi migrationis sæpiùs sint symptomata, urinis stercoribusve deponendis impedimenta. Quomodò verò morbi inde acuantur aculei, cur sæviora hinc quæ inurunt vulnera, perspicit qui, quò errat, ubique insequitur Naturam. Urges? È colo depluunt urinæ & in receptaculo resitantes, utero vim inferunt & jam reversum præcipitem ulteriùs detrudunt. Veniunt & in partem laboris congestæ quibus premitur longano, stercoræ quisquiliæ. Indè

---

cervix digitoque vix attingenda ita pubis symphyssi adhærebat ut ibi in longum depressa videretur. Osse sacro pariter constringebatur uteri fundus, ipsiusque postica facies in vaginæ limine ad pollicem dilatata prominebat. Uteri collum à vesicâ digito remove, sicque viam urinæ aperire primò tentavit obstetricans, at frustra; ne guttula quidem exiit lotii. Uterum igitur ad situm revocavit non quidem, uti diximus, digitis in anum, sed in vaginam perinæum inter & ipsum uterum immisiss; indè urinarum subitò facile profluvium. Decem diebus lecto incubuit prægnans, solitisque hoc tempore usurpatis auxiliis, brevè liberior urinæ exitus, quintoque graviditatis mensè ab hoc recuperata est symptomate.

(a) Vid. Observ. Guill. Hunter.

(b) Vid. Observ. Clarif. Desgranges, prægravem ab uno ad alterum latus transfereas prægnans lebetem, eoque ventri impacto uteri retroversionem passa est.

(c) Vid. l'Art des Accouchemens par M. Bandelocque, tom. 1, pag. 127, parag. 356.

ur illi tollantur obices , idonei procreandæ vel firmandæ inversioni exoriuntur conatus. Sic , dato causæ & effectûs circulo , ab uteri reversione producuntur & eam producunt ischuria & alvi adstrictio. Lotii retentio , missis quæque sint causis , eidem sternit viam aberrationi , uti calcar addit , dùm symptomaticè ei superadditur. Organorum mutationes , dummodò Anatomies his splendent latebris faces , haud conceptu difficiles. Vesica enim uteri cervici peritonæo illigata , nimis turgendo , os tincæ sursùm abripit , ossa scilicet pubis versùs , eodemque quo uterus ipse dùm evolvitur , secum conatu rapit vesicæ collum.

Delibatæ mox causæ antevertenti utero efficiunt , vel potiùs ipsius errorem emendare videntur. At si vesica , ultrà expansionis metas procursa , recto innixam uteri cervicem antè sursumque efferat , densata fæcum colluvies , recto obicem nacta , deorsùm eandem cervicem deprimit & à sacro remover. Quæ dictant partium situs & functiones , ea stabilit praxis : edocet enim ratiorem esse *retro-reversione* uteri *ante-reversionem* , & mitiora esse quæ eam subsequuntur , accidentia.

Non cuique uteri errori eadem competunt symptomata , quippè quod aberrans viscus vario pondere vicinas non æqualiter premit partes. At si incolume & à quovis onere liberum , latitantem morbum produnt dolores magis vel minùs inguinibus , internis femoribus , iliis & lumbis sævientes ; pondus circà vesicæ collum & podicem ; quem restinguere nequeunt , utinarum ardor. Vividioribus prodeunt insignibus ea nunc , si tumeat doleatve viscus , symptomata : difficilioribus defluunt undis urinæ , vel sæpè sæpiùs arent earum fontes , aret & sistitur etiam alvus.

Quæ mox enarravimus , sese etiam revertente in prægnantibus utero , ea semper suboriuntur symptomata , citatus tamen

non eis semper incessus. Vergente secundo prægnationis mense minimâ in pelve mobilis uterus in conversionis initio organorum functioni parùm obest (a), sed quò magis instat partus latefendo, ea ossa versùs adprimit, undè urinis & fecibus expromendis insuperabilis obex, etsi catheteri & enematibus pluries sollicitentur. Ea nunc detrepentè evenire queunt epiphænomena, si seriùs, nempe tertio quartove animatæ monadis mense, convertatur uterus.

Allabentibus hospiti succis nutritiis, majora indè sumit incrementa detrusum jam tum gradatim ipsius involucrum. At non ferum Naturæ mærentis silentium. Undique coarctata homuncionis sedes dolet, tumescit, ardescit, & tractis in easdem ærumnas viciniis, relata jam symptomata pejorantur vel nova renascuntur ab epiphænomenis oriunda.

De quâ nunc, haud difficulter stabilitur conversionis signum, at enumeratis non tam fidendum notis quàm eis sedulus quas patefit tactus.

Index pudenda pertentans tuber hinc & hinc dilatatum anfractu pelvis ex undique arctatum reperit, pressâ scilicet anticâ vel posticâ, pro variâ conversionis specie, uteri facie. Anticè vel posticè labitur ipsius fundus cui opponitur è directo meatus. Qui eum circumlegit margo quandòque ita fursùm re-

---

(a) Eadem eveniunt si solito latior sit pelvis. Mulier semiprolapsui naturaliter obnoxia erat; quarto conceptionis mense Fratrem adiit, exeunte anno 1776. Aderat uteri retroversio levi cum dysuriâ. Callidus uterum ad naturalem normam revocare tentavit obstetricans; sed quamvis in pelvis limitibus non strictè incarceraretur uterus, irriti tamen evasere conatus. Elapsis quibusdam diebus inferiùs magis detrudebatur uterus, dolbat magis ut vel levissimum tactum renueret ægra; difficiliores ibant urinæ. Reductionem iterùm & incassum tentavit: nec mora, maximis doloribus angebatur misera, liquidus grumosusque effluebat sanguis, &c. Lapsis indè quindecim diebus ponte suâ ad situm naturalem rediit uterus.

trahitur, ut vix summo digiti tangatur apice. Naſto ſibi viam per ſinuofos urethræ mæandros cathetere, detegitur tunc tumor, lato nunc, nunc minori definitus ſpatio qui mentiti calculi coerciti vel ſchirri ſub imagine ſæpè ſæpiùs naſutiorem deluſit Chirurgum (a). Eadem quæ mox catheter, detexit ſedi datus index; & hæc habentor de variis morbi indiciiis.

At incaſſum ſedulò quæque eveniunt, notarentur morbi phænomena, incaſſum è reconditiſſimis ea exciverentur fontibus, ni benigna telis converſis in hoſtem irrueret Chirurgia. Latebras ubi occultatur, calles quò eundem, arma quibus debellandus pugnatori indicant ſigna. Victrices ei ſupererunt lauri, ſi ad libram componat viſcus & ſemel compositum ſemper ſtabiliat. Verùm quoties eheu! ſalutares floccipendit Artis conatus Naturæ error, & urgentia præ ſe fert ſymptomata medentis operam nunc & nunc advocantia. Facile ſemper aberrans reponeretur viſcus ſi primis erroris diebus ad propria convolarent auxilia, ſi quidem pelvi nondùm ſtringitur; nec urinæ veſicâ, nec feces recto retentæ, ei quod dictat indicatio, nondùm adverſantur. Sed cineri tunc doſo ſuppoſiti latent ignes, nec, niſi lacidioribus pateat malum indiciiis, de incendio cogitatur mox erupturo. Cùm autem tacitæ priùs panduntur inſidiæ, innixa cubitis & genibus, dato *retroverſionis* exemplo, reponitur ægra, ità ut pectore deorsùm, fuſùm pelvi compositis gravitantia ab utero recedant exſta, & unico dein duobuſve digitis ano inductis fuſùm uteri fundus repellitur, dùm alteriùs manûs index vel medius vaginæ intruſi deorsùm detrudunt uteri cervicem.

Recenſitus ille ab Auctõribus ſitus componendo viſceri hand abſolutè neceſſarius; cùm æquè facile reſupinâ muliere, requiſita adimpleatur indicatio, modò nullos, operante Chirurgo,

---

(a) Vid. Obſervat. D. D. Levret & Deſgranges.

edat prægnans conatus. Neque etiam semper digitos ano dederis fundum uteri sublevandi gratiâ , cum aliàs detruditur cervix. Sæpè enim errans viscus facillè reducitur dùm digitos immiseris in eo , quem supra perinæum efformat posticus vaginæ infra uteri corpus paries , anfractu. Ita repulso faciliori negotio uteri fundo supra os tincæ dirigitur index , & si rimulâ dehiscat apertâ , eam subit & dein deorsùm , sacrum scilicèt versùs , deprimit. Et hæc sunt de *retro-verse*.

*Ante-verso* verùm utero , etiam resupina componitur ægra , & vaginam relegentes juxta pubis symphysim decurrentem index & medius , uteri fundum fursùm & retrorsùm repellunt , vel intruditur index in os tincæ ut antrorsùm attrahatur. Minùs equidem utilis certè nunc quàm utero *retro-verso* , in podicem indicis intromissio. Si ineunti huicce errori sic facillè obviamitur , non ità quidem cum jamdudùm consenuit malum. Enematis tunc , modò eis pateat aditus , emolliendæ feces priusquam tumens uterus à digito internam symphyseos pubis relegente faciem ab eâ detrahatur : sique simplicem hanc quâ corrigitur , methodum renuit conversum viscus , tum ad sacrum , curvum nempe potiusquàm rectum catheterem , anchoram recurrentum.

Sternunt equidem curationi viam hæc tentamina ; at proh dolor ! devium ita quandoque stringunt uterum pelvis angustix ut ipsius restitutioni omnis denegetur locus. Cum verò citò citiùs vicinæ inflammantur partes , inflammetur & involucris textus augente continuo homuli corpusculo , nulli componendo ad libram utero tentandi sunt conatus , quin priùs venæ-sectionibus , balneis , fotibus , potuque antiphlogistico restinguatur mali ardor. Si minores nunc medentis labores , graviores deveniunt , dùm ab evoluto homuncionis diversorio solummodò pendent , quæque sint accidentia. Expanditur enim tum retrò-datus uterus & objectis obicibus ita nunc sese componit pro variis angulis vacuisve ut  
inde

indè anfractûs quem premit , varias sortiatur figuras : angustum nimis nunc spatium sæpiùs conscensâ pelvis dirimente lineâ , deserit ; undè miseris nimiùm impossibilis visceris restitutio.

Impetant salutifera malum Chirurgiæ tela. Quid indè ? Minui nequit uteri moles , nec augeri pelvis ambitus. Urethra vesicæ collum ita stringitur ut catheteri nullus aditus ; instat tamen & continuò urget meiendi desiderium. Amicam , fatemur , fert opem suprâ pubem instituta vesicæ punctio ( *a* ). At subdolos hinc somnus : citò citiùs redeunt symptomata quæ iterùm acum triquetram , nisi vulnere relinquatur acûs cannula , efflagitant. Non his tamen obstaculis frangitur medelam meditantis Chirurgi ardor ; suppetit alia sternendo morbo spicula symptomatum series , effusionem nempè aquarum amnii punctione , vel symphyseos sectionem uti mortuâ prægnante perfecit Celeb. *Hunter*. Videant de hujusce sectionis efficaciam qui eam in partu extollunt obstetricantes , quippè quod eam prorsùs , usque dùm quidquam ex ipsâ boni constiterit , rejicimus.

Clamitent evacuatis amnii undis fetum trucidari ; dicant , cui innatat velut piscis , acu non posse exsicari paludem , sive degentem pupugerit illius apex , vel non satis profundè adactus pereat ipsius salutaris impetus. Præceps ruit anxia mater , tacitum imminet pignori amoris periculum ; en ea quæ tela vocitant , infortunia. Nonne cùm solutis uteri cataractis effunditur vitalis latex , ut utriusque vitæ consulatur , ante partum è diverticulo educitur , etsi fortè citò pereundus fetus ?

At oggannient punctis aquarum involucris non satis idcirco minui uterum , undè suus semper reductioni labor. Quid indè , medelæ omnis alienæ olores ? Nonne *satiùs est anceps experiri remedium quàm nullum*. Cùm verò nulla secum afferat incommoda uteri punctio , cur igitur audacter non tentaretur ? Etsi

---

( *a* ) Hoc suadet Celeber. *Hunter*.

ponderosæ quas tetigimus, incusationes; non tamen Anglicum (a) ab opere deterruissent obstetricantem qui primus forsan & solus salutarem hanc inivit methodum, secum reputans quot & quanti medenti obvolvantur casus qui omnimodam renuunt uteri retrocessi reversionem.

Admissâ jam quam respuunt, involucrorum fetûs punctione, cassâ superest quam prælibavimus, vesicæ acupunctura, quippè quòd contractâ uteri mole minùs comprimetur vesicæ collum; vel fiet catheteri, si haud faciles fluant urinæ, promptior aditus.

Reducto utero nova subest medenti adimplenda indicatio, retentio scilicet, ne iterùm ac iterùm quoquòd libuerit (b) erret. Hinc faus pessario usus; sola ut volubili subveniatur visceri, medela. Eam renuere queunt prægnantes modò usque ad quartum mensem lecto sese affigant in alterutrum latus decumbentes, vesicam sæpiùs exonerent, enematisque quotidianis liberam alvum servant.

Stillatim utero reducto quandòque defluunt urinæ, etsi alveo nullum illidat onus. At vitium nunc quòd antea symptomaticè accedebat, idiopathicum evenit, ortâ nempè colli vesicæ inflammatione vel atoniâ nimiùm distensi receptaculi: quod quidem vitium armis huic conversis optimè profligabis (c). Quæque sint si alia reviviscant quæ reversionem peractam gravent accidentia, opportunis gladiis oppetenda.

---

(a) *Celeb. Hunter. Vid. Medicals observations, &c. Vol. 4. pag 406.*

(b) *Vid. Observat. Celeb. Levret, & Clar. D. Desgranges.*

(c) *In observ. à Clar. Wanters allata trium hebdomadum spatio Catheteris ope vesica deplebatur.*

FINIS.